HORTI ACADEMICI TAURINENSIS STIRPIUM MINUS COGNITARUM AUT FORTE NOVARUM...

Giovanni Battista Balbis, Pietro Amati, Pio Tela



PRÆFATIO.

Quum primum Botanices studium summa diligentia, animique contentione apud plures gentes excoli coepit, ut maximum inde Botanica scientia habuerit incrementum, plantarumque numerus quotidie adaugeretur, facile cuiquam perspicuum esse potest quantum in quibusdam ordine tradendis methodis allaborandum fuerit, quibus et facilius plantarum cognitionem, atque illud, quod in maximo est habendum beneficio, assequeremur, ut non modo quae in singulis propriae regionis locis, sed illae etiam, quae in maxime dissitis ac remotis terrae plagis rariores innascerentur stirpes, in hortos nostros translatas, summa cura altas, majori, qua fieri potest, diligentia expenderemus. Hinc summi Principes Viri hoc tantum, quo doctissimi homines, Botanicae studium, flagrabrant admirati, illud quoque sibi merito suadentes ad tuendam, servandamque hominum valetudinem quam plurimum conferre posse, in maxime idoneis regionibus publicos regiis impensis hortos instituerunt. Verum, ut in aliis multis inveniendis scientiis,

sic in hac quoque primum excolenda, promovendaque praecipuam sibi gloriam jure Italia vindicare potest. Anno enim 1540 primus Patavii hortus publice constitutus traditur, quem Bononiensis et Pisanus paullo post exceperunt; hos vero subsecuti sunt Leydensis anno 1660, ac Monspessulanus, conditore HENRICO QUARTO anno 1598, moderatore RICHERIO A BELLEVAL, cujus utilitas tanta apud omnes cognita est, ut schola medica Monspessulana multo frequentius celebraretur, multoque majus sit adepta decus. Quae quum late percrebuisset fama, vehemens quoque Botanices studium Parisiorum scholam incendit, ut et hortum sibi comparaverit, et ejus medicae facultatis praeses JOANNES ROBIN de constituenda area, ac simplicibus excolendis egerit, ex quo illud eximium postea monumentum exortum est, quod PARISIORUM HORTI MUSAEUM nunc appellatur, ac tantopere apud omnes doctrina excultas gentes celebratur *.

Sed non solum in his, quos memoravimus locis, sed alibi etiam innumeri constituti fuere horti. Elapsi autem saeculi initio VICTORIUS AMEDEUS PRIMUS Sardiniae Rex adeo acri a natura praeditus ingenio, ut summa quaeque in recte constituendo imperio et fortiter aggredi, et perficere posset, literis in pristinam dignitatem, splendoremque restitutis, ut alia multa immortalitate digna

---

* Haec ex Annalibus mus. Paris. vol. 1, pag. 3, excerpta sunt.

peregit, sic hortum hunc quoque nostrum fructibus excolendis tunc solum aptum, ut communi esset usui, summa cum laude in Botanicum convertit. Huc primum indigenae rariores nostrates stirpes, tum et officinales praecipue, denique exoticae etiam ab exteris orbis plagis advocatae atque excultae sunt. Botanici horti cura primum est commissa Veneto Angelo Santi, qui *Herbarius regius* vocabatur; hic annuo stipendio 1800 francorum, et satis commoda domo, ac hortulo fruebatur; ipsi vero additi horti cultores duo Petrus Cornalia primo loco, Franciscus Peyroleri secundo.

Hortus autem Botanicus, academicus dictus, extra portam novam in satis lata jacet planitie. Hunc complectitur ex altera parte murus, ex altera vero ligneum sepimentum *; contra assurgunt magnificae regiae aedes, quae Sabaudis Principibus olim in deliciis erant. Locus *Valentini* nomine cognitus. Sed quum locus iste, universae rei literariae moderatoribus permissus fuerit,

* Quae pars ligneo sepimento praecingitur vallicula est ad orientem vergens. Ad occasum, quod valliculae verticem constituit terra aequatum, altitudinem agri, quo ipsa circumsepta est, aequat. Altitudo terrae, quae valliculam aequavit ipsius aequor 7 metris, 80 centimetris ad summitatem excedit; eadem fere est colliculorum altitudo, qui eam ad septentrionem, et meridiem circumdant. Quae septentrionalis, et meridiem spectat ardua est, quae vero septentrionem vergit usque ad imas valliculae radices descendit, et leniter acclivis est: ad hujus fastigium sepimentum, et horti aedes reperiuntur, quae meridianam auferunt lucem. Haec cl. Academ. collega meus Ignatius Michelotti mihi perhumaniter communicavit.

eorum jussu caldaria in horto academico ad meridiem vergentia sunt extructa *.

Omnium primus apud nos, post instauratam a Rege VICTORIO AMEDEO studiorum universitatem, Botanices scientiam edocuit BARTHOLOMAEUS CACCIA Taurinensis. Hic materiem medicam in Academia primum, dehinc stato, et idoneo tempore stirpium officinalium virtutes auditoribus suis in horto botanico tradebat.

Huic successit vir in universa naturali historia optime meritus VIVALIANUS DONATI. Hic jam hortum mirifice auxerat, novisque undique conquisitis stirpibus multo copiosius locupletaverat, cum, regio jussu, Ægyptum profectus, inde rediens lethali morbo correptus, immaturoque fato peremtus maximum sui omnibus Botanices studiosis, ac Taurinensi potissimum Academiae, desiderium reliquit **.

Clarissimi DONATI vices hoc tempore gerebat vir omni doctrinae genere apprime insignis medicus CAROLUS ALLIONIUS Taurinensis, Regis, ac rei literariae moderatorum suffragiis in ejus merito suffectus locum medicae materiae et Botanices professor fuit renunciatus. Mirum sane, quanto studio, labore, quantaque indus-

* Primum caldarium quod positum fuerat, reperitur in hortulo ad dexterum conopaeum sito.

** Hujusce tanti viri, quae manu ipse scripsit ad Ægyptium iter suum spectantia, neque adhuc in lucem edita sunt, hortante magnifico Academiae nostrae Rectore Prospero BALBO, Michael BUNIVA praestantissimus medicinae professor, atque scientiarum Academiae socius vulgabit.

tris celeberrimus hic Botanicus stirpibus apto loco serendis, ac collocandis, ipsisque ab aliis in omnibus discernendis incubuerit, quae luculenter patent in his quae in synopsi horti botanici Taurinensis legi possunt *.

Neque hos tantum summus vir exantlavit labores, sed nulli unquam parcens editissimas, asperrimasque alpes nostras perlustravit, ibique magna copia delectis novis stirpibus in hortum transferendas curavit; quumque magnum sibi in re botanica comparasset nomen, societatem quoque cum praestantissimis exteris Botanicis iniit, ut vicissim inter se stirpes commutarent. Itaque Taurinensem hortum raris, exoticisque herbis tantopere ditavit, ut anno 1770 jam inter conspicuos celebraretur **.

Verum, aetate ingravescente, diuturnis fessus laboribus, ob medicam etiam, quam exercebat assiduam praxim *** viribus deficiens, Petro Mariae Dana Bargiensi discipulo suo ac medicinae doctori eximio, literarum moderatoribus annuentibus, docendi munus commisit, atque ab ipsis, ut ejus etiam vices gereret in horto regendo, ac sic laborum socium, et levamen haberet, impetravit. Hic quoque nonnulla ad alpes suscepit itinera, atque in stirpibus colligendis, expendendisque diligentem operam dedit.

* Miscell. Taurin. ad ann. 1760, 1761, vol. 2, p. 48.

** Ibib. ad ann. 1770, 1773, vol. 5, p. 55.

*** Nihil plura addam de celeberrimo hoc Viro, quum superius laudatus cl. collega meus Michael Buniva satis fuse ejus persequatur laudes.

Neque hic silentio praeteream praestantissimum alterum ALLIONII discipulum LUDOVICUM BELLARDI Ciliancnsem botanicae scientiae cultorem egregium: ipse enim nedum asperrima alpium nostrarum juga, atque alia pedemontana loca, sed Nicaeensem quoque agrum adeo diligenter perlustravit, ut ingentem selectarum stirpium copiam ad nos perduxerit; quod et celeberrimi ALLIONII *Pedemontana flora*, et *appendix*, aliaque praeclara ipsius BELLARDI edita in lucem opera abunde testantur. Insignem quoque hic tantus Vir promeruit laudem, quod summa ingenii, qua pollet acie, cl. ALLIONIUM in stirpibus, quae horto colebantur, expendendis, apto, ac proprio nomine distinguendis non parum adjuverit.

Quum ita diligenter esset excultus, auctusque hortus noster, ut nulli Italiae ob herbarum copiam jam invideret, repente gravi exorto belli tumultu, rebusque apud nos saepe valde perturbatis, literis omnino silendum fuit. Inde factum, ut horti cultus, ob necessaria, quae deerant praesidia negligeretur, adeoque plurima, eaque gravissima pateretur damna, quae, ne quotidie in deterius delaberetur, summa cura, et industria essent reparanda.

Haec quum plane cognovissent Viri, quibus a summis Gallicae Reipublicae Moderatoribus subalpinae gentis administratio tum erat commissa, illud mihi muneris demandarunt, simulque Botanices, ac materiae medicae Professorem, rerum naturalium, quae musaeo asserva-

bantur, et horti praefectum renunciarunt. Equidem gravissimum, ac vix ferendum onus mihi impositum sensi, ut aliquandiu dubius haereret animus, atque ab ipso suscipiendo refugeret. Attamen, quum illud cogitarem, me satis firmo corporis robore, optimaque uti valetudine, laborum socium, adjutoremque mihi adesse egregium virum IGNATIUM MOLINERI de excolendis Botanicis hortis peritissimum; vehementius etiam Botanicae studium, quo ab ipsa ineunte aetate flagravi animum meum incenderet; haec omnia sic me confirmarunt, ut tantum mihi onus subeundum putarem eo consilio, ut omnes corporis animique vires in id unum intenderem, ut Taurinensem hortum pristino restituerem decori, si vero illud per me etiam fieri posset, meliorem redderem. Itaque, nulla interposita mora, eodem anno iter ad alpes alacri animo institui, ipsisque peragratis, quamplurimas stirpes tunc in horto deficientes mecum attuli, ipsasque denuo serui, earumque quoque semina legi, quibus jam aliquot annos intermissam cum summis exteris Botanicis herbarum permutationem repeterem, quod quidem me perfecisse indicavi in miscellaneis Botanicis *.

Hac ratione, ob assiduam seminum commutationem hortus noster cum rarioribus indigenis, tum exteris pluribus plantis paullatim ditatus est, adeoque stir-

* Mém. de l'Acad. des Sciences de Turin vol. 7, pag. 317.

pium increvit numerus, ut nunc inter Botanicos hortos aliquo in pretio dignus merito videatur.

Illud tamen beneficiorum haud immemor summis Botanicis viris acceptum semper referam, qui singulari quadam liberalitate semina, vivasque plantas mihi semper communicarunt.

Nolim hic obruere silentio qui horto nostro alendo, tuendoque plurimum allaborarunt; itaque varios recensebo horti Custodes, qui alii post alios ad hanc usque diem ipsum excoluere, nec quemquam merita frustrabor laude. Post obitum superius memorati ANGELI SANTI, PETRUS CORNAGLIA nomine *herbarii regii* ipsi successit; dehinc horti custos summis laboribus et singulari industria plantis excolendis operam navavit; pluribus quoque habitis per alpes itineribus et novas in hortum perduxit plantas, et eas, quae interiissent, renovare studuit.

Alter vero PETRI socius, FRANCISCUS PEYROLERI, ob frequentem usum, nec mediocrem, quam in excolendis stirpibus adhibuerat diligentiam, herbarum quidem scientiam et ipse erat adeptus; sed quum ita a natura comparatus esset, ut picturae studio quammaxime duceretur, pingendis vivo colore stirpibus potissimum operam dabat, tantumque hac in arte profecerat, ut ab iis, qui literis tum praeessent, tamquam omnium in pingendis stirpibus peritissimus ad id unum imposterum delectus fuerit. Quae praeclarus hic vir celeberrimae institutioni, *Iconographiae* scilicet *Taurinensi*

initium fecit, quae nunc majori etiam studio, eoque nitore perficitur, ut quasque in horto nostro Botanico excultas plantas ad vivum expressas cernere possis; earum enim fasciculus numero 60 ad 70 singulis annis conficitur.

Francisco Peyroleri successor datus est Joannes Bottione Viucensis ex sorore nepos, qui avunculi disciplina institutus eximiam quoque artis peritiam adeptus erat; sed quum non minus senio, quam oculorum acie laboraret, ejusque filia Angela Bottione pingendis stirpibus quoque excelleret, haec merito ad tantum persequendum opus magnifico Rectori visa est potissimum idonea. Nec vero fefellit spem, licet enim cuipiam publicam hujus Academiae bibliothecam exornantia volumina inspicere, quae ita diligenter, nitide et perbelle ab ipsa elaborata sunt, ut vel doctissimorum hominum, qui literarum studio ducti exteras peragrantur regiones saepe admirationem concitaverint.

Postquam Petrus Cornaglia horti custos vita decessit, ejus cultura duobus fratribus Petro, et Ignatio Molineri a Montealto Monregalensi commissa est. Erant hi Cornaglia consobrini, jamque plures annos horti cultum exercebant, ut ipsi labore et senio confecto opem afferrent; quumque jam operam suam satis utilem comprobassent, in ejus locum ita fuere suffecti, ut Petrus primus, Ignatius secundus horti custos appellaretur. Juvenes isti, quum et corporis robore, et ingenii acie vigerent, laboris quammaxime essent patientes, artem

colendi horti egregie callerent, ac denique Linnaei systema a cl. Allionio satis commode edidicissent, cunctas fere Pedemontii regiones alpinas ac subalpinas perlustrando innumeram stirpium segetem in hortum traduxerunt.

Verum Petrus, praeter Botanices scientiam, in qua tum satis erat versatus, plurimum etiam inclaruit Entomologiae studio; singulis enim annis stirpes in alpibus legendo huc etiam diligenter incumbebat, ut *insecta* exquireret, quorum immensam copiam ad celeberrimum Allionium adduxit. In his plures novae inventae species, quas hic Fabricio, et aliis summis Entomologis misit, ut eorum scripta perspicue comprobant.

Petrum, ob difficillima, in quae inciderat tempora, anno 1800 frater Ignatius excepit. Hujus tanta in conquirendis, colendis, ac perpendendis stirpibus diligentia et sollertia fuit, ut eam me satis commendare non posse profitear. Is enim Ignatius noster est, qui e vulgo eorum, qui botanicos excolunt hortos jure excipi videatur. Nam, praeter eximiam culturae scientiam, multa in eo praeclara admiramur. Quum Botanicae scientiae studio mirifice flagrasset, ea etiam omnia sibi praesidia quaesivit, quibus in hac doctrina singularem sibi laudem compararet; latine, et gallice satis didicit, ea quoque ex graeco sermone hausit, quae Botanico viro in verborum etymologia dignoscenda essent peropportuna. Sed quum illud quoque cogno-

sceret, literas ac scientias communi quodam inter se vinculo contineri, ut alteram sine altera satis percipere non possis, universae naturali historiae perdiligenter operam dedit; geographiam, cujus summa est utilitas ad stirpes apto loco collocandas accurate perdidicit, atque hisce tot cognitionibus, quibus praeclare animus ejus exornatur, geometriae atque astronomiae scientiam quoque adjunxit. Verum quid diutius immoror in singulis enarrandis, quae hunc virum in re botanica praestantissimum esse ostendunt, quum et Pedemontana cl. Allionii flora, tum auctarium ad eamdem floram, et nonnulla mea opuscula ipsum meritis laudibus jam cumulent? Itaque hoc unum hic tantum addam, de subalpina Botanica scientia optime meritum esse.

Anno 1801 socius illi datus est Joannes Franciscus Piota Caballicencis. Praeclarus hic Vir, quum olim in Augustano gymnasio Professor grammaticam doceret, immensa, quibus alpes illae abundant, stirpium copia, ac varietate illectus, subcessivis horis botanicae studium summa cura excoluit, quasdam novas, nec antea cognitas stirpes detexit, nobis misit, quas horto inseruimus. Hinc merito literarum tum praefectis idoneus habitus est, qui egregio Viro Ignatio adjutor ac socius adjungeretur. Hic cum ob singularem animi ingenuitatem, ob morum integritatem, tum etiam ob eam, qua ad Botanices studium et horti cultum animum intendit, diligentiam adeo nobis probatur, ut ejus operam perutilem horto botanico admodum fore confidamus.

Illud nunc tantum superest, ut de horti natura, ac de ratione, qua auctus, exornatusque fuit, aliqua attingamus. Postquam locus ad botanicae cultum constitutus fuit, et caldaria extructa, nihil amplius in ipso est immutatum, nisi anno 1797, quo Sardiniae Rex VICTORIUS AMEDEUS III id soli quod nunc ligneo sepimento praecingitur, ad horti amplificationem concessit. Ibi tunc aliquae arbores exterae, inter quas *Acer Negundo*, *Ailanthus glandulosus*, *Fraxinus americana*, *juglandifolia*, *terebinthinacea*, *Platanus orientalis*, *et occidentalis*, *Liriodendrum tulipifera*, *Bignonia Catalpa*, *Salix babylonica*, *Gleditsia triacanthos*, et aliae nonnullae excultae fuere; nunc vero multo plures additae, et arborum seminarium satum, ut sic *arboreto* alendo, augendoque inserviant.

Hunc in ordinem plantas in horto digestas videas; quae officinales dicuntur, in peculiaribus areis reperias; quae vero ex calidis advectae sunt regionibus meridiem, quae ex frigidioribus alpibus nostris septentrionem spectant; reliquae, uti diversa ipsarum natura, et indoles magis ferre videtur, vel calidioribus, vel frigidioribus, vel opacis locis consitae inveniuntur. Sed quum, ob loci angustiam, omnes in areis excoli nequeant, caeterae omnes immensa vasorum copia ac serie includuntur.

Duo ex utroque horti latere extant aquaria. His tum ad plantas stato tempore irrorandas, tum ad nonnullas aquaticas stirpes ibidem alendas utimur: ut plantas ab

hyemis saevitia defendamus, hybernacula quaedam sunt, quae tamen ut resarciantur, et meliora fiant vehementer optamus. Sunt etiam ad meridiem horti caldaria; quum haec temporis diuturnitate in dies magis labefactarentur, nec satis late paterent, magnificus RECTOR noster restituit, amplificavit, exornavit. Verum hic nefas esset silentio praeterire summam eximii Ducis MENOU liberalitatem, qui non ita pridem ditionis nostrae Administrator, ut opus perficeretur, propriis impensis non parum contulit. Inter haec caldaria tepidarium quoque reperitur, sed minus aptum quam horti utilitas postulet. Verum animum in optimam spem erigimus, praestantissimum Academiae Recforem, ac universae rei literariae Gallici Imperii Inspectorem generalem PROSPERUM BALBUM, ubi primum se occasio tulerit, magis idoneum esse facturum, atque amplificaturum. Hoc fore certe confidimus, cum ob singularem benevolentiam, qua literas, scientiasque omnes prosequitur, tum quod praecipue hortum nostrum, cujus utilitatem optime percipit sapientissimus Vir, adeo benignis semper adspexit oculis, ut in omnibus, quae effici possent, nobis numquam defuerit.

Hac ratione, hoc ordine botanico subalpino horto constituto, plures in ipso exteras, multas indigenas alimus stirpes; quumque ex utroque genere, potissimum vero ex illis exteris quaedam interdum se nobis offerant, quae summa licet in his dignoscendis Botanicorum cura, et industria fuerit, adhuc tamen haud satis expensae,

adeoque minus recte descriptae videntur; operae pretium ideo duximus, eas in fasciculos digerere hoc consilio, Academici Viri, ut opusculum hoc praecl rissimo nomine vestro illustratum, sub tantis auspiciis, in publicam prodeat lucem. Atque eo etiam alacriori animo illud perficere conabor, quod hoc in opere elaborando eximias mihi praeeuntes sequar duces, in quibus Jacquin, Aiton, Ventenat, Wildenow, totque alii celeberrimi Botanici recensentur, qui insignibus doctrinae monumentis nomen suum immortalitati commendarunt. Singuli autem fasciculi sex ad octo continebunt plantas, atque icones addam ipsas exprimentes. Si vero plantae quaedam in horto excultae peculiari observatione aliqua dignae visae fuerint, post plantarum descriptionem animadversiones adjungam.

Si qua forte planta jam ab aliquo Botanico Viro descripta, optima tamen icone illustrata non videbitur, vel aliud quidpiam ad perfecte ejus naturam dignoscendum desiderabitur, iconem etiam adjiciam. Verum, quum illud forte evenire possit, ut in hisce tradendis aliquam jam ab aliis descriptam plantam exhibeam, Botanicos omnes precor, atque enixe rogo, ut si hac in re peccaverim, libenter mihi veniam dare velint, quum eos certe non fugiat quot innumera quotidie vulgentur Botanices opera, quanti saepe emantur, ut ne homines quidem locupletissimi ea omnia facile sibi comparare possint.

Dabam Augustae Taurinorum die 1 junii anno 1810.

Solanum *decurrens*.

S. caule erecto fruticoso aculeato, foliis pinnatifidis petiolatis, petiolo decurrenti; floribus subumbellatis. (*Tab.* 1).

Descriptio.

Tota planta hirta, pilis apice glanduliferis, excepta corolla.

Caulis 1 metri 28 millimetri et ultra, frutescens, teres, ramosus, ramis alternis, aculeatus, aculeis rectis sparsis, basi lutescentibus, apice fuscis.

Folia petiolata, ex albo-viridia, petiolo decurrenti (quae nota subest etiam ubi folia deciderunt), pinnatifida, lobo supremo majori, alterna, mollia, aculeis aliquot rectis utrinque praedita in venis majoribus ac in costa.

Pedunculi communes laterales alterni et terminales foliis breviores.

Pedunculi partiales corollam aequantes, alteri biflori, alteri sexflori, umbellam fere constituentes.

Calix 5 partitus viridi flavescens.

Corolla magna alba, semiquinquefida, segmentis ovatis acutis.

Bacca ovata, cerasi fere magnitudine, coloris crocei.

Planta haec tribus abhinc annis colitur in horto, seminibus a praeclaro Viro PHILIPPO ARMANO horti botanici Mediolanensis Praefecto acceptis.

Floret apud nos toto anno, quin hucusque fructus praebuerit. Qui in tabula depicti sunt, a laudato eximio viro missi humanissime fuere.

Colitur in olla, hyeme in tepidario collocatur. Fruticans.

TABULAE EXPLICATIO.

a. *Flos obversa parte.*
b. *Corolla cum staminibus.*
c. *Calix cum pistillo.*
d. *Pedunculus cum fructibus.*
e. *Bacca aperta.*
f. *Semina.*

SYNGENESIA POLYGAMIA SUPERFLUA.

ARTEMISIA *pedemontana*.

A. cespitosa, foliis inferioribus palmato-multifidis petiolatis, superioribus pinnatifidis sessilibus, floribus axillaribus globosis subsessilibus nutantibus, calicinis squamis linearibus acutis tomentosis, corollulis lanatis (*Tab.* 2).

Descriptio.

Planta cespitosa procumbens.

Caulis adscendens simplex, quandoque tamen ramosus, sed raro, 216 millim. altitudine, tomentosus.

Folia inferiora palmato-multifida petiolata, albo-sericea, laciniis linearibus acutis; superiora pinnatifida sessilia.

Flores globosi axillares, magnitudine fere *A. chamoemelifoliae*; inferiores quandoque pedunculati, folio breviores uni-bi-veltriflori, omnes nutantes.

Calix valde tomentosus squamis calicinis linearibus acutis.

Corollae luteae lanatae.

Receptaculum lanatum.

Abunde occurrit circa oppidum *Pràss* in valle Macrae in pascuis sterilibus, saxosis et secus aggeres, ubi reperta est florens ab eximio et indefesso nostro

Botanici horti custode Ignatio Molineri mense augusti anno 1807, et ab eodem in hortum hunc illata laete adhuc viget, floruit sequenti anno, ac matura semina praebuit, e quibus facile propagatur, tum etiam praecipue stolonibus. Perennis.

TABULÆ EXPLICATIO.

a. *Calix et flosculi.*
b. *Flosculus.*
c. *Idem apertus ut semina conspiciantur.*
d. *Stylus.*
e. *Calix.*
f. *Semen.*

Huc referenda alia Artemisiae species Pedemontii quoque indigena, quae est: Artemisia *subcanescens.*

A. foliis caulinis pinnatis glabriusculis, pinnis subtrifidis, floralibus indivisis linearibus, junioribus canescentibus, caule erecto, panicula virgata, calicibus incanis, floribus globosis pedunculatis nutantibus, Wild. Enum. vol. 2, pag. 861.

Legit eodem anno laudatus Molineri in valle Sturiae a *Demonte* descendendo versus *Borgo S.t Dalmazzo* in pascuis saxosis aridis. Perennis.

Proxima *A. camphoratae*, a qua differt foliis adultis glabriusculis, totaque planta pallide virenti.

DECANDRIA Trigynia.

Cucubalus *fimbriatus*.

C. panicula dichotoma, petalis fimbriatis, foliis ovatis acuminatis rugosis. (*Tab.* 3).

Descriptio.

Caulis metri unius et ultra altitudine; simplex, teres, ruber, erectus, pilosus, pilis albis deflexis.

Folia ovata, acuminata, lata, mollia, rugosa, integerrima, utrinque pilosa, subtus reticulata, petiolata, petiolo brevi alato.

Panicula dichotoma; flores penduli.

Calix inflatus subglobosus hirsutus, reticulato-venosus.

Corolla alba pentapetala, petalis fimbriatis latiusculis, dentibus duobus ad faucem apice bifidis.

Capsula globosa, trilocularis.

Semina reniformia.

Floret junio, julio, et augusto. Perennis.

Singularis haec, et ab omnibus, quod sciam, cucubali hucusque cognitis speciebus diversa orta est seminibus, duobus abhinc annis superius laudato egregio viro Philippo Armano missis, qui plantam hanc Cayennae indigenam esse suspicatur, ut in literis tradidit.

Colitur apud nos in olla, servaturque hyeme in tepidario. Seminibus tantum hucusque propagatur.

TABULÆ EXPLICATIO.

a. *Petalum.*
b. *Stamina, et pistilla cum germine.*
c. *Styli et germen.*
d. *Calix.*
e. *Id. apertus cum capsula triloculari.*
f. *Semen.*

PENTANDRIA Digynia.

Selinum *elegans*.

S. caule subtereti striato, pedunculo aphyllo longissimo, seminibus latis ovatis. (*Tab.* 4).

Descriptio.

Radix ramosa firma.

Caulis subteres striatus dimidii metri altitudine, basi flexuosus, ramosus, dein longe pedunculatus nudus.

Folia triplicato-pinnata linearia acuta, dilute viridia.

Involucrum universale reflexum enneaphyllum, foliolis lanceolatis inaequalibus, margine membranaceis. Partiale foliolis minoribus, florescentiae tempore patentibus, ac in fructescentia reflexis.

Umbella patens convexa.

Petala quinque alba, cordata.

Styli persistentes erecti, maturitate deflexi.

Semina lata, laevia, ovata.

Floret junio, et julio. Perennis.

Amat loca umbrosa; colitur in olla; hyeme in frigidario servatur *.

Locus natalis ignoratur; a pluribus annis in horto Taurinensi excolitur; planta probabiliter alpina, quum inter alpinas nostras stirpes collocata optime vigeat.

TABULÆ EXPLICATIO.

a. *Flos anterius visus.*
b. *Id. obversa parte cum calice.*
c. *Id. demtis petalis.*
d. *Sem. cum stylis.*
e. *Id. bifariam divisum.*
f. *Id. ex alis exemptum.*

---

*. Huic affine est.

SELINUM *Bellardi.*

S. caule subtereti striato, pedunculo aphyllo longissimo, foliis triplicato-pinnatis linearibus apice acutis scariosis.

Haec Selini species septem vel octo abhinc annis in horto colitur et vivens habita a cl. Viro LUDOVICO BELLARDI sub nomine *S. Cervariae*; differt a praecedenti foliolis linearibus latioribus apice acutis scariosis; coloris intensius virentis, et semine dimidio fere breviori, alisque angustioribus. Distincta certe species, quam praeclari et collegae mei eximii nomine insignivi, ut publicum grati animi testimonium redderem tum ob istam novam speciem, cum ob alias nonnullas etiam novas, suoque loco describendas stirpes horto huic humanissime datas.

DIADELPHIA Decandria.

Psoralea *lathyrifolia.*

P. caule decumbente diffuso, foliis simplicibus ovatis petiolatis margine ciliatis, stipulis vaginantibus apice bifidis.

Descriptio.

Tota planta glabra.

Radix lignosa, ramosa.

Caulis decumbens, diffusus 33 centim. altitudine, compressus, nodosus, ramosus, ramis axillaribus.

Stipulae vaginantes, caulem, ramosque obtegentes, apice bifidae.

Folia alterna, breve-petiolata ex stipularum apicibus prodeuntia, viridia, nitida, ovata, integra, margine ciliata, patentia.

Flores ex petiolorum axillis erumpunt coerulei, calicem vix superantes brevi pedunculo suffulti modo solitarii, modo bini, bracteati, bracteis lanceolatis, acutis, carinatis.

Calix monophyllus, quinquefidus, laciniis acutis, inferiori canaliculata reliquis longiori.

Corolla calici subaequalis papilionacea, vexillum emarginatum; alae oblongae obtusae vexillo breviores, basi in appendicem obtusam desinentes. Carina

alarum longitudine duobus petalis approximatis constans, apice macula violacea distinctis.

Legumen reniforme hirtum, monospermum.

Semina hujusce plantae accepi anno 1808 a cl. DANIELE SCHREBER Erlangae Botanices Professore sub eodem *P. lathyrifoliae* nomine, quod ideo servandum esse putavi, tum quod reapse stirpi huic accommodetur, tum quod censeam non adeo facile leviterque mutanda esse stirpium nomina nihil aliud quam perturbationem quamdam saepissime parientia, ac botanicae scientiae incremento plurimum officientia.

Planta haec colitur in vase; hyeme in caldario temperatiori collocatur. Floret majo et junio, semina augusto maturat. Perennis.

TABULÆ EXPLICATIO.

a. *Flos cum calice et bracteis.*
b. *Corolla.*
c. *Stamina.*
d. *Calix.*
e. *Legumen.*
f. *Semen.*

SYNGENESIA Polygamia æqualis.

Eupatorium *Armani.*

E. fruticosum, foliis oppositis ovato-lanceolatis, inaequaliter serratis scabris, calicibus sexfloris, flosculis ciliatis.

Descriptio.

Caulis lignosus metri unius circiter altitudine, erectus, brachiatus, pubescens, ramosus, nodosus.

Folia opposita, juniorum ramorum alterna, supra viridia, inferius pallida, petiolata ovato-lanceolata grosse serrata, serraturis inaequalibus, dentibus acutis brevi mucrone terminatis, nervosa, scabra.

Petioli breves, basi dilatati, suberecti, purpurei.

Flores in ramorum apicibus breve pedunculati, corymbosi, congesti, albi.

Calix communis sex aut septem flosculos complectitur quinque vel sex foliolis compositus. Foliola ovata concava subimbricata pilosa margine ciliata.

Flosculi infundibuliformes hermaphroditi calice longiores. Limbus patens quinquefidus, laciniis ovatis ciliatis.

Stamina 5 flosculo longiora; antherae filiformes coloris intense violacei.

Germen globosum pubescens. Stylus filiformis staminibus longior; stigmata recurva, albida, ciliata.


Receptaculum planum nudum. Semina nondum maturuere.

Quoniam hance Eupatorii speciem obtinui e seminibus a cl. superius laudato Viro Philippo Armano missis, ut publicam grati animi mei significationem tribuerem, tanti amici et viri praestantissimi nomine insignire existimavi.


Planta colitur in olla, hyeme in tepidario collocatur. Floret augusto. Fruticans.

TABULÆ EXPLICATIO.

a. *Calix communis cum flosculis.*
b. *Id. partialis.*
c. *Flosculus apertus cum staminibus.*
d. *Stylus.*
e. *Semen nondum perfectum.*




Gravé par Amati et Tela à Turin


a
b
c
d
e
f
Artemisia pedemontana



Gravé par Amati, et Tela a Turin



Selinum elegans



Gravé par Amati et Tela à Turin



Gravé par Amati, et Tela à Turin

EXPLICATIO

PROSPECTUS HORTI ACADEMICI TAURINENSIS.

A *Introitus in Hortum.*
B *Areae plantarum officinalium.*
C *Aquaria.*
D *Frigidarium.*
E *Caldaria.*
F *Gradus, in quibus plantae calidiorum regionum collocantur.*
G *Locus, quo terreus fimus praeparatur.*
H *Posticum, ex quo a via publica patet aditus in Hortum.*
I *Arboretum.*
K *Solum additum Horto, ac ligneo sepimento clausum.*

		ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 4	lin. 21	primus	secundus.
14	5 et 6	Victorius Amedeus III.	Carolus Emanuel IV.